



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Primum. Idem a Olomicensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XXIX.

De clerico per saltum promotio.

CAPUT PRIMUM.

Idem ^a Olomicensi Episcopo.

Ux nobis litteræ præsentatæ continebant, quod sicut ex relatione quorundam bonorum virorum receperas, P. presbyter lator præsentium, diaconatus ordine prætermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri. Cumque super hoc ab ipso quæ fuisses diligentius veritatem, ipse tibi secreto humiliter est ^b confessus, se pro certo nescire, si res taliter se haberet; sed ex quo hoc boni viri asserabant, inter quos fuerat conversatus, credebatur. Tu verò ipsum ad Ap. Sed. transmittens, à nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur ejus miseriam condolentes, f. t. per A. f. m. quat. condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem, & eâ peractâ, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in ^d diaconum ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permissas in ordine sacerdotis

NOTÆ.

^a **Olomicensi.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* in hac verò sexta legitur *Bononiensi*, & Glossa marginalis emendat *Coloniensi*: sed cum præsens epistola non repetitur inter editas à Sirlero, & Bosqueto, non possumus veram inscriptionem restituere. De Bononiensi diœcesi egi in *cap. 17. de foro compet.*

^b **Confessus.**] Non solum ramentaliter, aut si in foro pœnitentiæ licentia data sit ipsi Episcopo consulendi Romanum Pontificem, juxta tradita in *cap. 2. de offic. ordin.*

^c **Annos discretionis.**] Quænam dicitur ætas discretionis, exposui in *cap. 1. de delict. puer.*

^d **Diaconum.**] Sed quare non repetuntur alii gradus minores, cum intra discretionis annos recepti fuissent; & similiter gradus subdiaconatus, qui omisus fuit? Andreas Saufay in *Panopli. cleric. lib. 6. cap. 1. part. 1. §. 2.* exultimavit, minores gradus infanti collatos iterandos esse, quia sine effectu collati fuerunt; & ita ait Saufay Innocentium III. tantum referre Episcopi consultationem, non quòd ritè, & validè collatas arbitraretur; sed quòd absolute non requiritur in eo qui jam sacerdos erat, hujusmodi graduum iteratio: diaconatum autem suppleri jussisse, quia tenaciùs longè hæret presbyteratus diaconatus, quàm subdiaconatus; & quatuor minores ordines, ut infra dicemus: unde concludit Saufay, Innocentium III. jubendo gradum diaconatus suppleri, nullâ factâ mentione minorum ordinum, non ideò supposuisse quatuor minores gradus susceptos infra annos discretionis validè collatos fuisse. Sed veriùs credo, Innocentium III. non jussisse ordines minores suppleri, quia etsi infanti conferantur, validè recipiuntur, nec egent iteratione, ut Hallierius, & Gamacheus relati ab ipso probant; nec ordinem subdiaconatus iterari jussisse Pontificem, quia jam illum suscepserat, ut apparet ex ipsa consultatione; siquidem Episcopus tantum proposuit Innocentio, omisso

diaconatus gradu in presbyterum subditum suum fuisse ordinatum; aliàs si omisisset etiam subdiaconatum, id exprimeret: unde supponitur, eum tantum diaconatus gradum omisisse. Quare Innocentius illum tantum gradum suppleri jussit.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur ^{2.} assertio: *Ordinatus per saltum suspenditur, & Conclit. gradus omisus illi conferendus est.* Probat eam textus in *cap. final. 51. dist. cap. sollicitudo, 52. dist. cap. si tur, & officia, & per tot. 59. dist. cap. 1. & per totam 60. dist. proba. cap. 3. 77. dist. cap. 6. 83. dist.* Synodus Romana sub *tur. Sylvestro, can. 5.* ibi: *Sylvester præsentem Synodo constituit, ut nullus ex laica persona ab honore acolyti ad Episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector diebus 30. deinde una die exorcista, postea caperet onus acolyti, & faceret in eodè ordine annos 10. ut acciperet onus subdiaconi; & in subdiaconatu esset annos quinque, deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus, donec rogantibus 30 presbyteris examen, ut esset Diaconus Cardinalis.* Synodus *8. can. 17.* Damascus in *vita Caii*, ibi: *Cajus constituit, ut omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri meretur, ut esset Hostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, deinde Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, exinde Episcopus ordinaretur.* Constitutio ipsa Caii extat in epistola ipsius ad Felicem. Synodus Romana *2. sub Sylvestro*, in epilogo, ibi: *Ut si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, esset prius hostiarius, deinde lector, & postea exorcista, per tempora, que Episcopus constituerit; deinde acolytus annis quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis quinque, Diaconus annis quinque, Presbyter annis tribus.* Concil. Sardicense *can. 10.* ubi statuitur, in uno quoque gradu probatum, ad Episcopatus fastigium ascendere. *Brachar. 1. can. 37.* ibi: *Ex laico ad gradum sacerdotii nemo veniat, nisi prius anno in sego in officio lectorum, vel diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat, & sic per singulos*

singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat. Synodus Sueffionensis in accusatione Hinemari, act. 6. in fine: Qui saltu sine gradu Diaconi ad sacerdotium profectus, in degradationem debitam restituere debet. Caelestinus in epist. ad Episcopos Galliae, cap. 3. Symmachus P. Fratri Caesario, cap. 2. Leo Pont. epist. 65. ad African. Episcopos, Turonensis lib. 6. cap. 15. Habemus scriptum in canonibus. fili, non posse quemquam ad Episcopatum accedere, nisi prius ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur. Et l. 28. tit. 6. p. 1. Illustrant ultra congestos à Barbofa in praesenti, & de potest. Episcopi 2. part. alleg. 16. & alleg. 47. & de iure eccles. lib. 2. cap. 33. num. 8. Hallierius de sacris elect. 2. part. sect. 1. art. 2. & de hierarch. iuris fol. 253. Corvinus lib. 4. aphanis. cap. 37. Cresol. lib. 2. mystag. cap. 12. Gibalinus de irregul. cap. 5. dub. 6. Altanir. ad leg. 3. Cod. de filiis offic. cap. 10. P. Gregorius lib. 4. part. tit. 4. cap. 2. Petrus Herodius lib. 1. Pand. tit. 4. cap. 20. Bosquetus ad Innoc. III. lib. 1. reg. str. 13. epist. 192. Savarus ad Sidonium lib. 3. epist. 25. Langueus lib. 7. semestr. cap. 1. Solorzanus de iur. honor. num. 53. Vighel. in method. juris can. fol. 249. Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. num. 47. Acunna in c. unie. 52. dist. Claud. Espenceus lib. 1. digres. cap. 16. Petrus Faber lib. 3. agonist. cap. 28. Ant. Augustin. in epist. lib. 7. tit. 4. Meril. lib. 2. obs. cap. 6. Filescus in cap. 1. §. 3. de offic. ordin. Diana part. 5. tract. 10. resol. 27. Hieron. Garcia in summa. tract. 1. dub. 13. difficile. 1. punct. 4. Balsam. in can. 89. Synod. Carthag. Dartis in 52. dist. Alteserra in praesenti.

Sed haec assertio difficilis redditur auctoritatibus, exemplis, & rationibus. Auctoritatibus Concilii Brachar. supra relati, & Zofimi relati in cap. officia, 59. dist. ubi à lectoris gradu ecclesiastica militia auspiciatur: & Gelasius Papa in epist. ad Episcop. Lucania, c. 3. continud aliquem lectorem legitime ordinari, tum acolytum, postea subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum scribit. Igitur quia non gradatim per omnes ecclesiasticos gradus necessario est ad sacerdotium perveniendum. Exemplis etiam id facile probatur; siquidem D. Cyprianus epist. 33. ait: *Placuit ut ab officio lectoris incipiat.* Et epistola sequenti fatetur, se Celorinum primo ad Lectorat gradum promovisse. Et epist. 24. ait, Oportum à se ex Lectore Hippodiamum ordinasse. D. Martinus primum exorcista à sancto Hilario Pictaviensi creatus, ex eo gradu sacerdotium attigisse refert Severus in ejus vita. D. Chrysostr. mus à Lectoratu, quem à Zenone receperat, ad Diaconatum promotus, deinde presbyter, postea Episcopus consecratus fuit. Similiter Eutyechius Patriarcha CP. ex Lectore Diaconus, ex Diacono Sacerdos, tandem Episcopus consecratus fuit, teste Meraphraste in ejus vita, die sexio Aprilis. De Joanne Cabilonensi Episcopo refert Sidonius lib. 4. epist. 25. Lectorem hunc primum, sic ministrum altaris (id est Diaconum) processu temporis Archidiaconum, postea secundi ordinis sacerdotem, seu presbyterum creatum, antequam ad Episcopalem Sedem vocaretur. De sancto Felice refert Paulinus natali. 4. eum primis in annis Lectorem, exinde exorcistam, tum sacerdotem fuisse, ibi:

*Inde gradum cepit, cui minus voce fidei
Adjurare malos, & sacris velle verbis.
Quod quia perspicua meriti virtute regebat,
Iure sacerdotis veneranda insignia nactus &c.*
Alia exempla refert Hallierius dist. art. 2. §. 2. Rationibus etiam impugnat praesens assertio; nam videtur quaedam ludificatio, si ordines inferiores conferantur iis, qui ad majora officia destinantur, D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

& ordines superiores mox sunt suscepturi: v. g. si acolyto mox ordinando, cui acolyti officium in Ecclesia imponendum sit, hostiarum, lectoris, exorcistae ordines conferantur: quorum munia nunquam obituros sit. An non hoc est, ut ait Duarenius lib. 1. de sacris Ecclesiae, cap. 16. dicis tantum causà ordines inferiores accipere? quod praecipue procedit in praesenti casu, cum quis etiam in presbyterum ordinatur; nam ad quid suppleri debet gradus Diaconi omisus, cum consequto sine, juxta Philosophum frustra agatur de medio.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod licet gradus omnes, tam majores, quam minores, tendant ad sacramentum Ordinis à Christo Domino institutum; tamen primis Ecclesiae sacentibus, qui in presbyterum ordinandus erat, non semper prius minoribus gradibus initiabatur, ut expressit D. Thomas in supplement. quest. 35. art. 5. in corpore, ibi: *Quod etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperunt; & tamen poterant omnia, quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiore virtute, sicut ut sensus in intellectu, Ducatus in regno.* Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est, quod ad majores se non ingerat, qui prius in minoribus non se humiliaverit; forsitan quia eum olim ordinationes nullae otiosae forent, nec ordines inutiles, idèd si quae sine functione, sine munere peragerentur, inutiles credebantur: itaq; moris erat tunc gradus illos omittere, quorum functiones ordinandi minimè obirent; vel quia eo tempore consuetum non erat illos gradus recipere, quos non erat necessarium exercere: sed quisnam fuisset, qui prius constituit, ut nemo per saltum promoveretur, id est omisus inferioribus gradibus ad superiores ascenderet, hestitur: Baronius anno 296. num. 2. Caium hujus instituti auctorem admittit, quoties de promovendo aliquem in Episcopum agebatur. Cironius ad hunc titulum, Caium accipit primum hujus instituti auctorem; & merito, juxta Damasum supra relatum, & Synodum Nicaenam can. 2. textus in cap. 1. & seqq. 48. dist. ubi repetita est haec Caii lex: in canone enim 80. Apost. tantum prohibitum fuerat repente neophytum in Episcopum ordinari, vel sacerdotem: unde deducitur id, quod in neophytis prohibebatur, in aliis fuisse permisum, nulla serie ordinum minorum inspecta, donec Cajus sua Constitutione statuit, gradatim per minores ordines ad majores esse perveniendum. A quo tempore subordinationem ordinum fuisse observatam, & promotiones per saltum prohibitas, constat ex Synodo Romana, & aliis Conciliis supra expensis, & ex Tertulliano de fuga, ibi: *Hoc sentire, & facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris loci, ut majoris fieri possit, si quidem gradum ex persecutiōnis tolerantia ascenderet.* Ex sancto Hieronymo epist. 1. ad Hesiōdorum, de Nepotiano presbytero, ait: *Fuit clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.* Variis exemplis probat Hallierius de sacris elect. dist. art. 1. num. 5.

Magnaque cum ratione hujusmodi ordinationes per saltum prohibita ab Ecclesia fuerunt; nam ordo, qui servatur in hominibus, ut in caelesti hierarchia provehantur, idem utique servandus videtur, ut in ecclesiastica proficiant: docent B. Clemens lib. 6. Stromatum, pag. 667. his verbis: *Nam hic quoque progressionem Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloria*

4.
De ordinatione gradatim facienda.

5.
Traditur de- cidendi ratio.

gloria angelica, & illius œconomia, ac dispensationis. Cui consentiunt Damasus in epist. ad Urbanum, Gregorius lib. 4. in dicit. 13. epist. 52. Bernardus lib. 3. de consider. ad Eugenium. Hoc autem ordine ad cœlestem hierarchiam homines transferuntur, ut prius inferiores ordines attingere debeant quam superiores, ut probat Hallierus dicit. sect. 1. §. 7. Igitur similiter ut quis in ecclesiastica hierarchia, & sacro clericorum ordine proficere possit, contentaneum est, ut inferiores ordines prius decurrat, quam ad superiores pervenire possit; nam leges civiles, naturâ duce, quæ solenni decursu à minimis semper incipit, & pedetentim progreditur, statuerunt ut gradatim ad dignitates perveniretur, l. ut gradatim l. l. honor. 1. §. gerendorum, ff. de muner. & honor. l. 2. Cod. quemadmodum civil. munera, l. que utiliter 47. in princip. ff. de negot. gest. l. nam & Imperator 41. ibi: Ut ad processum viri uxor ei donare possit; ff. de donat. inter. l. nemini 3. Cod. de Consul. lib. 12. l. 1. Cod. ut omnes iudices, l. 1. Cod. de divers. offic. l. final. Cod. de yronibus, l. unicuique, Cod. de proximo. sacr. scrip. l. ult. vers. Illud, Cod. de primicer. lib. 12. l. 2. Cod. de officio Magistr. eod. lib. 13. in fine, tit. 21. part. 2. l. 17. tit. 18. l. 6. tit. 22. ead. part. Quare Romani non solum in militia castrensi hunc ordinem servabant, Lipsius de militia Roman. lib. 2. dialog. 8. l. contra 14. Cod. de re milit. lib. 12. Pancirola in notitia Orient. cap. 33. & 36. Rosinus lib. 10. antiquit. cap. 7. verum & in togata, nam Patricii, & plebei nobiles post exacta stipendia militaria, viam sibi parabant ad Reipublicam gubernandam. Primò petebant Quæsturam, primordium honorum exinde dictam ad Ulpiano in l. 1. de offic. Quæst. triennio elapso Adilitatem, biennio Præturam, eadem quoque intercapedine Consulatum: sequebantur Censura, & Patriciatus. Titus Livius lib. 32. ibi: Iam exultantem, Præturamque suscipiari, nec per bonorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare. Plinius in panegy. ibi: Nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos optime Magistratus. Magistratus Magistratu, honore honor petitur. Quare Cassiodorus lib. 1. epist. 3. inter alias laudes refert, dum Patricius reperitur, quod non fragili felicitate proventus fortunæ ludo, ad apicem fascium repentinis successibus evolavit. Sed ut crescere virtute solent, ad fastigium præconiis ascendit gradibus dignitatis. Et Aristot. lib. 3. de repub. cap. 8. ait: In hoc ordine servando Reipublicæ conservationem consistere, ibi: Omnis conservanda Reipublicæ ratio est neminem ornare, sed exiguos potius, & diuturnos honores tribuere, quam celeriter magnos. His enim talibus deteriores sunt, ut ferre secundam fortunam non possint. Latè illustrant Chassaneus in catal. gloria mundi, 1. part. consider. 9. & part. 9. consider. 15. & 33. Petrus Gregorius lib. 47. syntagmarum, cap. 15. Borel. lib. 1. de magistr. cap. 16. Alfaro de offic. Fiscal. gloss. 5. per tot. Marquez in gubernat. Christ. lib. 2. cap. 3. Scipio Almiratus in dissert. polit. lib. 3. discept. 13. Beseoldus dissert. de magistr. cap. 1. num. 1. Solorzanus de iuribus honoratis, ex num. 54. Altamirano in l. 3. Cod. de offic. fiscal. cap. 10. Meril. lib. 2. obs. cap. 6. Gratianus tom. 1. discept. cap. 154. fusè Langleus lib. 7. semestr. c. 1. per tot. Rectè ergo in præsentî textu, & in aliis supra citatis statuitur, gradatim esse perveniendum ad ordines sacros, aliàs clericum per saltum promotum suspensionem incurrere. Jam enim à primis Eccle-

siæ sæculis nemo ad dignitates majores promovebatur, nisi prius minoribus functus esset; itaque laicus repente, & mediis neglectis non eligebatur Episcopus. Concil. Sardic. can. 10. D. Cypri. epist. 52. ad Antonianum: Non ipse ad Episcopatum pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sape promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit. D. Hier. in epist. ad Nepot. Epi clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur. Eleganter S. Greg. Naz. orat. 1. & fusè in orat. 20. Idemque in laudem Anastasii: Cunctisque Ecclesiasticorum graduum numeribus deinceps perfunctus, ut que media sunt, respicem, proficiatur. Zolimus epist. 9. Vigil. Papa epist. 4. Itaque Gofridus Abbas Gofrido Carnotensi Episcopo objicit, quod antè sacros ordines Episcopus electus sit, lib. 2. epist. 27. Idemque exprobrat Raynald. Andegau. lib. 3. epist. 2. Omnes postmodum ordines, sed sine ordine, quia in octo diebus, & non certis temporibus accepisti, propter Episcopatus ambitionem. Sed hæc non ita semper rigidè observata legitur; nam ex Diaconis etiam assumebantur Episcopi. Krantz. lib. 7. hist. Brem. Vidimus electum vestrum, placet persona, placet scientia, placet eloquentia, & placent etiam quantum novimus mores. Verum modus electionis displicet, præsertim quia est infra sacros ordines, non dico subdiaconatu, sed acolytatum electio. Nicol. I. epist. 6. Interdum etiam x causa, & dispensatione summi Pontificis gradatim non ascenditur, ut refert Author historiæ PP. Rom. qui in Gallia federunt, in Clemente VI. Facta autem hujusmodi ordinatione religiosus effectus est, & habitum Prædicatorum assumpsit. Dicitur verò Papa demùm ipso instante, & procurante Joanne Rege Franciæ memorato, jam suo successore effecto, fecit Patriarcham Alexandrinum, & Ecclesiam Rhemensis sibi perpetuo commendavit, & causa ipsum honorandi magis, ne fortè à præmissis in posterum possit resilire, in propria nocte natalis Domini ipsum ad omnes sacros ordines uno contextu ordinavit.

Sed circa suspensionem hanc discrimen constituendum est inter ordinem ritè susceptum, ordinem per saltum receptum, ordinem prætermisum, & ordinem, quem nondum talis promotus suscepit; veluti in præsentî casu, in quo quiminores ordines ritè susceperat, prætermisso subdiaconatu diaconatum receperat, & illi adhuc deerat gradus presbyteri: & quoad gradus ritè susceptos, & gradum per saltum receptum, certum est, eum suspensionem incurrere; an verò ipso jure suspensus maneat, vel veniat suspendendus, non constat apud Interpretes. Suspendendum esse, quia ex nullo juris testimonio talis suspensio incurritur, docuerunt Turressem. in cap. sollicitudo, num. 4. 52. dist. Bernard. Diaz in practi, cap. 24. & alii, quos referunt, & sequuntur Gibalinus de irregul. cap. 5. quest. 1. Leander eod. tract. disput. 20. quest. 3. Sed contrarium, videlicet suspensionem esse ipso jure, meritò docuerunt Hostiensis, & Panormit. in præsentî. Suarez de censur. disput. 51. sect. 1. dnb. 2. pluribus relatis Acuña in dicit. cap. sollicitudo, numer. 8. Barbosa lib. 1. jur. eccles. cap. 11. numer. 139. Marchinus de ordine, tract. 1. part. 3. cap. 7. num. 8. Peyerin. de Prælat. quest. 3. cap. 7. num. 13. Portel. in respons. moral. part. 2. cas. 101. conclus. 1. & facillè probatur ex Concilio Trident. sess. 25. de reform. ibi: Cum promotus per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare. Pro ut ea verba expendit Hieronymus Garcia

6. De suspensione ordinati per saltum.

Carca in summa, tract. 10. difficult. 5. dub. 5. punct.
 3. Quoad gradus verò, quos adhuc non accep-
 rat, certum est eum impeditum esse ascende-
 re, non quia irregularitatem contraxerit ex ordina-
 tione per saltum, quæ nulla in jure imposta legi-
 tur, sed potius propter effectum suspensionis ex-
 ercenti, & ministrandi in gradu suscepto, ut pro-
 barunt Suarez supra num. 49. Acunna *diel. cap. so-
 licitudo, num. 10.* Tamen quoad hanc censuram
 sciendum est, Episcopum in ea posse dispensare,
 ut prætermisso ordinem suscipiat, & ut gradu
 malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat,
 quamvis delictum sit publicum; dum tamen in
 gradu prætermisso, aut malè suscepto ministraverit,
 ut expressè cavetur in Concil. Trident. *sess. 23.
 de reform. cap. 14.* docent Mayolus *lib. 4. de ir-
 regul. cap. 12. num. 2.* Suarez *de censur. disput. 31.
 sect. 1. num. 51.* Avila *eod. tract. part. 7. disput. 9.
 sect. 1. dub. 2.* immò et si ministraverit in gradu ma-
 lè suscepto, aut promotò, adhuc cum eo dispensa-
 re potest, si delictum occultum fuerit, *ex cap. 14.
 sess. 25. de reform. Concilii Trident. Probat Acun-
 na ubi supra. Barbosa de potest. Episcopi alleg. 47.
 num. 5.*

riores ordines non suscipiant, sed quòd in iis ne-
 quaquam se exercerent. Secundò cognoscendo
 magnam differentiam versari inter presbyteratum
 cum Episcopatu collatum, & inter ceteros ordines
 cum presbyteratu comparatos. Etenim Episcopa-
 lis ordinatio nulla est, quam non presbyteralis præ-
 cesserit; quia presbyteralis valida est, non susce-
 ptis reliquis inferioribus gradibus; Episcopalis
 verò nulla est, nisi præmittatur presbyteratus. Cu-
 jus differentia ratio est, quia Episcopatus est sum-
 mum sacerdotium, & presbyteratum essentialiter
 involvit, & nequit esse Episcopus, qui non fuerit
 antea presbyter. Presbyteratus autem non est Dia-
 conatus, nec eum essentialiter involvit; nec Dia-
 conatus est Subdiaconatus, aut eum essentialiter in-
 cludit, & sic de ceteris gradibus: quare potest quis
 esse presbyter sine inferioribus gradibus, ut probat
 latè Hallierius *d. sect. 1. §. 5.* unde potuit illis tempo-
 ribus justis ex causis ille qui nunquam in minoribus
 gradibus erat ministraturus, illis omissis in Sub-
 diaconum, vel Diaconum ordinari; juxta quem an-
 tiquum Ecclesiæ morem exaudienda sunt exempla
 pro dubitandi ratione adducta. Nec obstat aug-
 mentum ipsius difficultatis deductum ex eo, quod
 frustra in præsentis casu, & similibus suppletur gra-
 dus Diaconatus omissus, nam certum est in ordina-
 to per saltum quemlibet gradum omissum supplen-
 dum esse, quia licet gradus superior validè suscep-
 tus sit, non tamen licet ex defectu gradus omissi:
 unde supplendum est quod fuerat prætermis-
 sum. Quod majori ratione procedit in gradu Diaconatus
 omissio, qui omni tempore sacer fuit, ad hierar-
 chiam divina ordinatione institutus: unde strictius
 hæret Diaconatus Presbyteratus, quam alii gradus
 inferiores, ut latè probat Hallierius *diel. sect. 1. §. 4.
 per tot.* qui videndus est pro fusiori hujus tituli
 commentario.

7.
 Dissol-
 vunt
 dubia
 ratio.

Non obstat dubitandi ratio supra adducta ex
 variis juris auctoritatibus, & exemplis, in quibus
 docetur, & refertur, ex uno gradu inferiori, vi-
 delicet lectoratu, aut simili, ad presbyteratum plu-
 res fuisse promotos; nam duplici modo responde-
 ri potest. Primo asserendo, consuetudinem eorum
 temporum fuisse, ut etsi singuli gradus ordinis
 unus post alium conferrentur, illi tantum nomi-
 narentur, ad quorum officia aliqui destinabantur,
 vel qui eodem die ultimo loco fuerant collati, ut
 hodie usitato more loquendi, si quis uno die om-
 nes minores recipiat cum Subdiaconatu, dicitur ea
 die Subdiaconus creatus, nullà mentione factà mi-
 norum ordinum. Unde ex canonibus, exemplisque
 supra relatis, tantum deduci potest, licitum fuisse
 olim nonnunquam aliquos ordinari, qui in singulis
 minoribus ordinibus non fuissent exercitati,
 immò & eodem aliquando die, vel saltem paucis,
 ob clericorum penuriam, quòdam etiam ad Epif-
 copale fastigium evehctos fuisse; non quòd infe-

8.
 Expon-
 tur Con-
 cil Lon-
 dinese
 1. can. 6.

Ex dictis difficilis videri potest canon. 6. Con-
 cili London. I. celebrati anno 1225. tempore Ho-
 norii II. in illis verbis: *Nullus in Diaconum, nullus
 in Priorem, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum,
 nisi Diaconus promoveatur.* Sed responden-
 dum est pro illo verbo *Diaconum*, legendum esse,
 Decanum, ut in *cap. 1. de arate & qualis.*

TITULUS XXX.
 De eo qui furtivè ordinem suscepit.

CAPUT PRIMUM.

Alex. III. a Lingoniensi Episcopo.



Eniens ad nos P. nobis exposuit, se furtivè ordinem diacon. suscepisse.
 Unde f. r. respondemus, quod si non fuit à re, vel ab aliquo Archidia-
 conorum, vel Prælatorum tuorum sub anathematis interminatione
 prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad sacerdotale officium condig-
 nà satisfactione imposita (nisi alia impediunt) pro arbitrio tuo dispen-
 ses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum, ut
 in aliquo monasterio, seu canonia habitum suscipiat regularem: cui ex quo in habitu illo
 aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus, poteris misericorditer providere: a-
 lioquin nullà ratione concedimus eum sacerdotalem ordinem promoveri.